

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CLI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

rarum ut veniam des, oro. Reverendum Ecclesiæ Vestræ Ministerium meo nomine reverenter salutari peto, Bene & feliciter in Christo, mi D. Marbach, vale.
Brunsvigæ, 16. Julii, 1568.

T.

Martinus Chemnitius.

CLI.

Salutem à Filio DEI. Reverende viri

parentis loco colende.

Facile te excusant adsiduæ occupationes, quod scribis rarius. Nec dubito, quin eodem candore meorum laborum sis æstimator. Scripsi Thomæ Irtenbergio, Noribergensi, ut ad te mittat 40. fl. quod eum facturum spero: eam pecuniam quælo tradas duobus scholasticis, alumnis nostri Principis, Georgio Kirrmaiero & viro Kirchbauer. Ob annonæ caritatem, quæ apud vos est, & stipendii quod illis præbetur tenuitatem, statuerunt se conferre Jhenam, quam Academiam sedulo instaurat Dux Saxonie, Joh. Wilhelmus. Permissum eis hoc est à Senatu Ecclesiastico, quod tibi significandum putavi, ut facilius honestum impetrent testimonium. Johannes Fridericus Cœlestinus, Doct. Jhenam à Principe Joh. Wilhelmo revocatus, & à nostro Principe dimissus. Theologum, qui ei succedat, abs te non peram indicari: scio enim, vos egere & totum biennium quæsisisse. Christum præcor, ut operarium fidelem extrudat. Rerum Illyrici statum scire pervelim. Novi jam nihil. Bene in Domino vale. Neuburgi, 23. Julii, 1568.

Tuus ex animo

Tilemannus Heshufius.



CLII.

Salutem in Christo Jesu.

Literas tuas, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater charissime, accepi, quas nuper ad me scripsisti. Ac primo omnium, quod ad juvenem attinet Isnenfem, prospexi illi apud Professore[m] Hebrææ linguæ, M. Jacobum Dachtlerum, virum